

gibt den Tag der Kaiserkrönung als Terminus ad quem. [Vor 1328 Januar 17].

favorabiliter nos inducunt, ut uberiori gracia te^{f)} prosequentes nostrum et imperii vasallum constituamus de bonis ad nostram celsitudinem devolutis. Cum igitur quidam heretice pravitatis inquisitores iuris regula postergata ex voracitate^{g)} avaricie magis querentes substantiam quam animam contra nobilem virum . . . de . . . processerint^{h)} et hereticum denunciaverint^{h)}, omnes possessiones, bona et iura sua confiscaverint et, que imperio debebantur, ecclesie et pastoribus suis de facto applicaverint iusticia pretermisssa, ne sacri imperii libertas ac iusticia sic per indirectum, cuius dispensacionis gubernaculum divinitus nobis extitit creditum, suffocetur, predicta iura, bona et possessiones ad fiscum nostrum et nostram disposicionem revocavimus et presentibus revocamus, cum et propter negligenciam illorum, qui sibi eadem bona asserunt pertinere, que nec a dive memorie domino Hainrico imperatore nostro predecessore nec a nobis recongnoverunt aut tempore aliquo receperunt seu fidelitatem aliquam de ipsis bonis aliquialiter prestiterunt, sententia dictorum inquisitorum iniqua fuerit et avara, aliqua non obstante vel qualibet prescrip-tione temporis ex certa nostra sciencia supplentes de plenitudine nostre potestatis omnem defectum, si quis in dicta nostra revocatione inveni-retur tempore aliquialiter. Igitur omnia bona, possessiones, castra, bur-gosⁱ⁾, villas, iura, iurisdictiones et districtus cum omnibus suis pertinen-ciis que vel quas quondam de S. . . tenuit et possedit in Marchia . . . aut in quibuscumque aliis locis et terris vel que per dictos inquisitores con-fiscata et publicata extiterunt, tibi predicto et heredibus tuis pro iusto et legali feodo a nobis et sacro imperio perpetuo possidendo conferimus per presentes investientes te de predictis bonis et quibuslibet premissorum pro te et tuis heredibus nostro regali anulo, ut ratione ipsorum vasallus noster et imperii cum heredibus tuis dici ac esse perpetuo merearis recepto prius a te fidelitatis debite iuramento, cassantes, irritantes, cassas, irritas nun-ciantes omnia privilegia, gracias et concessiones hactenus per predeces-sores nostros imperatores et^{k)} reges Romanorum aliquibus concessa seu concessas aut inposterum concedendas, per quos vel quas dicta nostra concessio inpediri posset modo aliquo vel differri. Nulli ergo omnino^{l)} hominum liceat hanc nostre concessionis et infeodacionis paginam infrin-gere aut ei ausu aliquo contraire^{m)}, sicut nostram indignacionem et penam C librarum auri medietate fisco nostro et alia medietate passo seu passis

f) fehlt g) vomite h) -unt i) burges k) fehlt l) omino m) contrarie